



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 47. Dissidia in Galliis Burgundum inter & Aurelianensem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV.
A.C. 1411.

perta voce effatire non dubitavit, Papam esse Antichristum. Alius natione Boemus Religiosum quemdam in suo monasterio, cum ad populum e suggestu diceret, gravissimis infectatus est conviciis. Hi tres seditiosi Homines jussu Magistratus in carceres conjecti sunt. Verum Scholares, agmen ducente Joanne Husso, confestim ad arma convolant, horum libertatem insolentius postulantes; quorum tamen furor brevi deferbuit, facta eis spe, quod nulla mortis poena hi captivi plectendi forent; interea vero intempesta nocte ipsis in carceribus amputata fuere capita. Populus ubi horum sanguinem per portæ rimas decurrentem conspexerat, velut agmine factò concurrat, eis que honores S. Martyribus debitos defert, ac decollatorum corpora veluti totidem sacras Reliquias ad Sanctuarium Ecclesiæ, Bethleem dictæ reponit, ipso Joanne Husso de illis tanquam Sanctis orationes declamante.

§. XLVII.

*Dissidia in Galliis Burgundum inter
& Aurelianensem.*

Juven. Ur.
In. Hist.
Carol. VI.

Dissensionum in Galliis necdum finis erat; Dux Aurelianensis necem Patris sui vindicandi obtentu omnia cædibus, horrendisque latrociniis miscebat.

S. Clo-

S. Clodoaldi & S. Dionysii oppida vi occupat, atque in ipsam urbem Parisiensem se penetraturum, Regemque folio depulsurum comminatur, suæ factionis focii, se hanc Metropolim tam certo unicoque hiatu devoraturos jactitabant, ut nimium præfestini jamjam inter se urbis spolia dividere fuerint auditi. Nil enim ardentius quærebant, quam totalem illius direptionem. Verum Parisienses Burgundi Ducis partibus addicti, exploratis Aurelianensium consiliis postulant, ut Comes sancti Pauli, Gubernator urbis constitueretur, quod & ipsis datum fuerat. Insolita tamen omnes admiratio suspensos tenuit, quod tantæ Nobilitatis Vir, nec illustriorum familiarum gratiam fovere, nec honoratorum civium amicitiam sibi conciliare intentus, non nisi ex infimæ plebis homuncionibus sibi amicos creare studuisset, atque officii sui onera cum tribus filiis cujusdam regii Lanionis, cognomento *le Goix* partiri minime erubuisset.

§. XLVIII.

Lanionum Parisiensium temeritas.

Igitur hi tres Lanionis Filii, conscripto *Monach.*
 quingentorum ejusdem sæcis juvenum *S. Dionys.*
 agmine, innumera mala atque tumultus *l. 31. c. 7.*
 excitant, non paucos Viros Nobiles, plurimos *p. 763.*